

civitate, vel Diœcesi, et etiam alibi, ex permissione loci Ordinarii, et ubi consecrationes, aut ordinationes, vel benedictiones personales facere, ipsi Apostolica auctoritate conceditur.

6. Utitur autem in omnibus Processionibus, quæ si longioris viæ fuerint, faciet illum ante se immediate deferri a ministro, qui de eo servit, pluviali induto, quem portabit ambabus manibus a terra elevatum; si in aliqua Ecclesia sit consuetudo, vel privilegium, ut aliquis de Capitulo dignitatem habens, baculum ante Episcopum deferat, servari poterit. Si vero Processionis via fuerit brevis, poterit ipsemet Episcopus sinistra manu illum deferre; quod intelligendum est, quando Episcopus erit paratus pluviali et mitra.

7. Item in Vesperis Pontificalibus, dum procedit paratus de altari ad sedem, vel e contra, et dum dicitur Canticum *Magnificat anima mea, etc.* ac dum populo benedicit.

8. Item in Missa Pontificali, dum procedit de secretario ad altare, et cum ad eundem locum revertitur; et quoties de altari ad sedem, vel de sede ad altare procedit; dum Evangelium cantatur: cum in medio Missæ, et in fine dat benedictionem solemnem; videlicet, dum incipit producere signum crucis, et non prius; et in omnibus actibus Pontificalibus, qui per ipsum Episcopum exercentur, ut in ordinationibus, benedictionibus, consecrationibus, et huiusmodi, quæ in suis locis propriis habentur; dummodo, ut dictum est, Episcopus sit paratus pluviali et mitra, aut saltem mitra et stola; nam mitra et baculus in Episcopis sunt correlativa.

9. Excipiuntur tamen ab hac regula Officia et Missæ pro Defunctis, in quibus usus baculi cessat.

CAPUT XVIII.

Quo ritu Episcopus in accessu ad Ecclesiam genuflectere, orare et reverentias facere debeat. Quo item Canonici, cæterique de Clero. Ubi permanere, et quando genuflectere, et surgere eos oporteat, Episcopo orante, vel divinis Officiis, aut Missa inceptis. Item quid observandum, si Prælatus, vel laicus ex Magistratu superveniat. Quando assurgere et reverentias facere conveniat inter divina mysteria. Ad lotionem manuum Episcopi, ministri genuflexi officium expleant. Quoties aliquid Episcopo celebranti porrigitur, ac ab eo recipitur, toties ipsa res et manus Episcopi celebrantis, aut Legati præsentis, vel alterius celebrantis osculandæ, præterquam in Missis Defunctorum.

1. Episcopus, a quo cæteri exemplum sumunt, cum primum Ecclesiam ingreditur, detecto capite, sumptaque aqua benedicta, ut suo loco declaratum fuit, procedet ad locum Sanctissimi Sacramenti; deinde ad altare majus, et utrobique genuflexus, orabit devote, et congruenti mora, et facta prius ante altare Sanctissimi Sacramenti genuflexione in plana terra, antequam in genuflexorio genuflectat; et similiter finita oratione, antequam discedat, ut explicatum fuit in *Cap. xii. § ix. Lib. i.*

2. Si mitram habeat, ut dictum est supra *Cap. ii. § v. et Cap. xii. § ix.* deponet illam, dum orat, et post orationem resumet; et cum ea faciet altari majori reverentiam, caput inclinando, antequam inde discedat, et cum incipit ascendere ad sedem suam, salutatur modica capitis inclinatione Canonicos hinc inde stantes.

3. Ipsi vero Canonici, cum pervenerint ad altare majus, simul cum Episcopo profunde se inclinant, et statim accedunt ad loca sua in choro, ubi etiam genuflectunt, et permanent orantes, quamdiu Episcopus orat; quo surgente,

et ipsi surgunt; et cum Episcopus eos salutatur, capite detecto, profunde se inclinatur: et regulariter quoties ipsi Canonici transeunt directe ante altare, vel ante Episcopum, caput et humeros profunde inclinatur: Beneficiati autem, et cæteri de clero genuflectere debent, transeundo tam ante altare, quam ante Episcopum.

4. Si autem quispiam Canonicus superveniat, inchoato jam Officio, vel Missa, absque eo, ut aliquos salutet, vel ab aliis salutetur, statim genuflectit, versus altare, parumper orans; mox surgit, et facit reverentiam profundam altari et Episcopo, deinde salutatur Canonicos et alios de choro circumstantes, tunc, et non prius ei assurgentes, et eum resalutantes, et vadit ad locum suum. Et, si forte tunc esset principium Horarum, et diceretur in choro: *Deus in adjutorium, etc.*, vel *Gloria Patri, etc.*, aut Hymnus, vel in Missa Oratio, aut Epistola, aut Evangelium, vel denique aliquid aliud fiat, ad quod chorus, vel stat, vel est inclinatus, vel genuflectit per aliquam moram, expectabit respective, stans, vel inclinatus, vel genuflexus separatim in medio chori, prout ipse chorus, donec ea perficiantur; mox factis reverentiis et salutationibus, ut supra, ibit ad locum suum.

5. Idem observatur, si aliquis Prælati, aut nobilis laicus, vel ex Magistratu, aut Officialibus civitatis, qui divinis Officiis interesse soleat, supervenerit, Officio, vel Missa jam incepta: non enim prius ad suum locum ibit, quam fecerit genuflexus orationem versus altare, deinde reverentiam altari et Episcopo; et Canonicos, aliosque nobiles laicos, aut Magistratum, suosque æquales capitis nutu salutaverit: et, si aliquid ex supradictis recitabitur in Missa, vel in choro, expectabit finem, stans, ut de Canonicis dictum est; et mox, surgentibus eisdem Canonicis et laicis, quos ipse salutaverit, ab eis resalutabitur.

6. Mansionariis vero, seu Beneficiatis, et aliis de clero supervenientibus, ut supra, facta oratione et debita reverentia altari, Episcopo et Canonicis; nullus ex Canonicis;

aut ex Magistratu, vel Nobilibus supradictis assurgat, sed tantummodo alii Mansionarii et Clerici eorum æquales, vel inferiores. Et qui solent gestare almutium, dum assurgunt, a scapulis ad brachia dimittant.

7. Illud quoque pro regula observandum erit, ut æqualiter omnes prædicti, qui de eodem corpore sunt, cum sedendum erit, sedeant, cum vero surgendum est, surgant. Sunt enim diversa corpora, seu chori ministrantium, dum divina res solemniter celebratur; primus siquidem chorus est assistentium et ministrantium Episcopo celebranti; Alter Canonorum in suis subselliis residentium; alter Magistratum, vel nobilium laicorum; alter Beneficiatorum, et reliquorum Clericorum.

8. Cum igitur aliquis ex assistentibus Episcopo surgit, facturus aliquid ad officium suæ assistentiæ pertinens, pariter et alii coassistentes, et ministri circumstantes surgere debent; non tamen Episcopus; et sic stare, donec ille sedeat: nec ideo tunc reliqui Canonici in choro sedentes, nec alii de choro surgunt, tamquam diversi chori.

9. Similiter aliquo ex Canonicis in choro residentibus surgente, ut aliquid faciat ad publicum et commune chori officium spectans, puta cum intonatur Antiphona, seu aliquid simile, omnes alii Canonici, ac etiam Beneficiati, et clerici ab utroque latere chori assurgunt, præter prædictos, qui Episcopo assistunt.

10. Inter laicos quoque, uno surgente ratione officii, ut cum datur illis incensum, aut pax, cæteri quoque surgunt, secus vero, surgentibus aliis non sui ordinis.

11. Si Episcopus non celebraret, sed aliquis Suffraganeus, vel alius Episcopus, præsentem ipso Episcopo, adhuc efficeretur alius chorus ministrantium celebranti, qui eandem regulam servare debent, quoad sedendum et surgendum, prout de aliis dictum est.

12. Cum autem Episcopus surgit, singuli chori, tam Canonorum et Beneficiatorum, quam laicorum et celebrantis, consurgere debent.

13. Est et alia regula circa reverentias observanda; videlicet, cum aliquis ex Canonicis, vel ministris, transeundo ante celebrantem, altare et Episcopum, vel aliquem majorem, facturus erit plures reverentias, non inspicitur, cui prius, vel postea reverentia exhibeatur, sed tantum commoditas gradientis; puta si ille discedit a celebrante, iturus ad Episcopum, et transiturus ante altare, primo faciet reverentiam celebranti, tum altari, et ultimo loco Episcopo, et pari ratione, si discedit ab Episcopo, iturus ad celebrantem, primo Episcopo, deinde altari, ante quod transit, ultimo celebranti reverentiam faciet. Et breviter reverentia fieri debet semper primo ei, a quo disceditur, et ultimo ei, ad quem itur, nullo habito respectu, quis eorum sit major.

14. Regula etiam est, ut si plures in eodem loco veniant Prælati, ac etiam Legatus et Cardinales, uni tantum ex ipsis, qui erit major, puta Legato, et celebranti reverentia exhibeatur.

15. Cum Episcopus celebrat, familiares, vel nobiles, qui ei ad lotionem manuum ministrant, genuflexi officium suum peragunt, nisi adesset Legatus Cardinalis, vel suus Metropolitanus, quo casu, ob reverentiam illorum, non genuflexi, sed inclinati ministrant. Et pari modo, si aliquis Suffraganeus, vel alius Episcopus celebraret, præsentem proprio Episcopo.

16. Illud quoque sciendum est, quoties aliquid offertur Episcopo, celebranti, aut Legato, qui rei divinæ intersint: ac etiam cum aliquid ab eis recipitur, toties osculanda est res, quæ offertur, ac deinde manus recipientis, et cum ab eisdem aliquid recipimus, primo manus, deinde res, quæ recipitur: præterquam in Missis Defunctorum, in quibus talis deosculatio omittitur, ut suo loco dicitur. Idem observandum est erga alios celebrantes, absente Episcopo.

CAPUT XIX.

Ordo et modus jungendi, disjungendi, elevandi, tenendique manus per Episcopum, vel alium celebrantem. Quomodo vertere et convertere se debeat ad altare, vel faldistorium, et e contra. Quid observabit in osculatione altaris.

1. Illud in primis observandum erit ab Episcopo, ut cum, sacris vestibus paratus, ad Missam, seu Vesperarum solemniam progreditur, nisi pastoralem baculum deferat, semper junctis manibus incedat, hoc est, palmas extensas, ac simul junctas ante pectus habeat, pollice dextero super sinistro in crucis modum posito; interdum tamen illas disjungit, ut populo manu dextera aperta benedicat, ac mox iterum jungit: easque sic junctas semper tenet, dum genuflexus orat, dumque ab altari ad sedem, vel a sede ad altare progreditur.

2. Cum autem sederit, sive in sede sua Episcopali, sive in faldistorio, si est paratus planeta, palmas disjunctas apertas super gremiali hinc inde positas, quasi illud retinens, habebit.

5. Sed cum surgit, dicturus *Gloria in excelsis Deo, etc.*, *Pax vobis*, seu *Dominus vobiscum*, vel *Credo in unum Deum, etc.*, et similia, easdem sic junctas tenens, cum ea verba incipit proferre, aliquantulum disjungit, et mox, dum pronuntiat ultima verba ex prædictis, eas iterum ante oculos elevatas jungit, et cum aliqua ex prædictis versus altare dicit, ut *Gloria*, *Credo*, et similia, caput aliquantum versus altaris crucem inclinat. Idem facit, cum in Præfatione dicit *Gratias agamus, etc.*, et cum ante Orationes dicit *Oremus*. Cum vero Orationes cantat, manus ipsas elevatas, ac rectas ad humerorum æqualitatem retinet, ita ut palma palmam respiciat usque ad conclusionem Orationis, id est *Per Domi-*

num nostrum, etc. Quod cum dicere incipit, illico manus jungit, et cum profert nomen Jesu, caput inclinat. Quoties autem dextera, oblata super altari, vel alia signat, sinistram super altari tenet, et dextera manu aperta benedicit. Ubicumque vero seipsum signat, sinistram extensam tenet infra pectus. Quoties autem, et quomodo post lectum Offeritorium usque ad Communionem signare super hostiam, aut calicem, tam ante, quam post Consecrationem debeat, ac quo pacto manus et digiti sint extendendi, late declaratur in *Cap. VIII. Lib. II.* et habetur in Rubricis Missalis, ideo supervacuus labor esset, illa hic repetere.

4. Quando vero, et quomodo vertere et convertere se debeat, hoc regulariter observandum erit, ut quando Episcopus, vel Suffraganeus, aut alius Prælatus celebrat apud faldistorium, prout Episcopo occurrere potest, præsente Legato, vel alio Cardinali, ut alibi dictum fuit, tunc diverso modo observatur. Si altare erit sub tribuna, ita ut sedes Episcopalis sit e regione illius parieti adhærens, habens hinc inde sedilia Canonicorum, quo casu Episcopus sedens in faldistorio, vertit terga populo, et tunc surgens salutaturus populum, dicendo *Pax vobis*, vel *Dominus vobiscum*, vertit se per latus suum dexterum versus altare ad populum; et per idem latus revolvit se, stans facie conversa ad altare, et cantat Orationes, seu legit, quæ sunt legenda, et pariter ab eodem latere vertit se versus altare, cum dicturus est *Gloria in excelsis Deo*, aut *Credo in unum Deum, etc.* Si vero altare sit adhærens parieti, et sedes Episcopalis in latere Evangelii juxta differentiam positam in *Cap. XIII. Lib. I. §. II.* tunc, quia celebrans in faldistorio sedens, habet faciem suam versus populum, cum surgit, salutaturus populum non vertit se, sed eo salutato, volvit se per latus sinistram, non versus altare, sed potius versus credentiam, et legit quæ sunt legenda ex libro.

5. Hi autem modi vertendi et convertendi se apud faldistorium, secundum diversas positiones altaris, quanquam videantur inter se diversi, tamen in substantia non diffe-

runt: nam utroque casu id fit respectu altaris, quod primo casu præsupponitur esse ante faciem celebrantis; ideo cum se vertit ad populum, vertit se per latus suum dexterum: secundo vero casu, quia celebrans sedet in faldistorio versa facie ad populum, præsupponitur vertere terga altari, ideo salutato populo, vel cum dicturus est *Gloria in excelsis Deo*, aut *Credo in unum Deum*, absque salutatione vertit se ad faldistorium, quasi ad altare per latus suum sinistram, prout faceret quisque celebrans, stans apud altare, qui, ut dictum est, regulariter vertit se ad populum per latus suum dexterum, et per idem latus se revolvit, quod revolvendo est sibi sinistram; nunquam enim perficit circulum, nisi cum vertit se dicendo *Orate fratres*, et in fine Missæ, quando dat benedictionem; nam tunc vertit se per latus Epistolæ, et convertit per latus Evangelii perficiendo circulum.

6. Postremo advertendum est, dum celebrans stat ante altare, et se ad populum vertit, ut prius osculetur altare in medio, nullam tamen ibi crucem manu, vel pollice designans: et regulariter, quoties a sede, vel faldistorio ad altare accedit, illud in medio osculatur.

CAPUT XX.

Prope Episcopum, si Missam solemnem celebret, sive eidem assistat, liber Missalis tenendus est a ministro, cotta induto, cui additur minister de candela. Quænam ex eodem libro legat. Quid observandum, si Missæ intersint Legatus de latere, aliquis Cardinalis, Metropolitanus, et Nuntius Apostolicus cum facultate Legati de latere.

1. Cum Episcopus in Missis solemnibus præsens est, quamvis ipsemet Officium minime faciat, sive sit pluviali et mitra, seu tantummodo cappa Pontificali indutus, tenendus est prope ipsum liber Missalis, quem aliquis ipsius

Minister cotta indutus, custodiet, et cum opus erit, illum super caput apertum tenens, offeret ante Episcopum, accedente cum eo regulariter ad dexteram altero ministro, parvum instrumentum argenteum, quod vulgo *Bugiam* vocant, cum candela desuper accensa, tenente, etiamsi aer sit lucidus, ita ut opus non sit lumine ad legendum.

2. Ex hujusmodi libro Episcopus quatuor leget infra posita; videlicet, primo Introitum; secundo, Epistolam, Graduale, Alleluia, Sequentiam sive Tractum, et cætera usque ad Evangelium inclusive; tertio Offertorium; quarto Postcommunionem.

3. Observandum tamen est, quod si forte hujusmodi Missæ interesset aliquis S. R. E. Cardinalis, sive Legatus de latere, sive non, aut aliquis Prælatus, ipso Episcopo superior, ut suus Metropolitanus, et Nuntius Apostolicus habens in eo loco facultates Legati de latere, tunc ob eorum reverentiam Episcopus libro hujusmodi non utetur.

4. Cum vero ipsemet Episcopus celebrat, omnia prorsus, quæ ad Missam pertinent, ex libro recitabit, ut latius in *Cap. viii. Lib. ii. de Missa solemnè*, quæ ab Episcopo celebratur, exponitur. In Vesperis autem Episcopus nihil ex libro legit, nisi Orationem, quam cantat in fine, ut in *Cap. i. Lib. ii. de Vesperis* dicitur.



CAPUT XXI.

Quoties Episcopus sacris paramentis induitur, Dignitates et Capitulum stent circa ipsum, facientes circulum per ordinem. Quater in Missa solemnè, quæ coram Episcopo celebratur, circuli fiunt. Qui ordo servandus a Canonicis in reverentiis faciendis, et in circulis peragendis. Circuli in Missis tantum fiunt, non Vesperis, nec aliis, præterquam proprio Episcopo

1. Quotiescumque Episcopus sacris paramentis induitur in secretario, vel alibi ad Missam solemnem, vel ad Processionem iturus, Dignitates et Canonici debent circa illum stare, dum paramenta capit, detectis capitibus, quos tamen semel aut iterum invitari ab Episcopo decet, ut caput tegant, cui illi reverenter obtemperent, se cooperiendo.

2. Quo casu dignior ex omnibus tam Dignitatibus, quam Canonicis stare debet a sinistris Episcopi, et alii per ordinem apud illum, facientes circulum usque ad ultimum, qui versus dexteram Episcopi stabit; quod ita fiet, ut commodior et facilius sit exitus, cum ultimi, qui ad dexteram consistunt, debeant esse primi exeundo a dicto loco: alias regulariter digniores semper a dexteris Episcopi stare debent.

3. In Missa quoque solemnè, quæ non ab Episcopo, sed coram eo celebratur, quater circuli fiunt; primo cum Episcopus stans in sua sede legit Introitum, et dicit *Kyrie eleison, etc.*, et successivè Hymnum Angelicum *Gloria in excelsis Deo, etc.*, postquam intonatus erit a celebrante, si recitandus sit. Canonici enim opportuno tempore, discedentes ab eorum sedilibus, procedunt ad medium chori, factis altari et Episcopo reverentiis, et se sistunt in circulum ante Episcopi faciem, quod diversimode fit pro diversitate situationis altaris et sedis Episcopalis. Si enim altare adhæreat pa-

rieti, et sedes Episcopalis sit in latere Evangelii, incipient procedere juniores Canonici a sedili Diaconorum, ita ut ultimus Canonicus consistat ante faciem Episcopi, quos gradatim alii sequuntur, perficiendo circulum; et dignior Canonicus sive Dignitas, modicum a suo sedili digressus, stat ad dexteram Episcopi. Si vero altare erit sub tribuna, et sedes Episcopalis ex opposito altaris, tunc Canonici venientes ad circulum, procedunt simul ab utraque parte, non perficientes circulum, ne terga vertant altari, sed facientes hinc inde semicirculum, et sic stantes, dicunt cum Episcopo *Kyrie eleison*, quo dicto, si dicendum sit *Gloria in excelsis Deo, etc.*, expectant ibidem, donec celebrans incipiat *Gloria in excelsis Deo*, et ipsi cum Episcopo prosequantur usque ad finem. Quo finito, producente super eos Episcopo signum crucis, quod sic semper in fine circuli observatur, factaque illi et altari reverentia, recedunt ad loca sua, eundemque ordinem servant, quoties in Missa veniunt ad circulum; quod secundo erit, cum dicitur Symbolum, si dicendum est, in quo simul cum Episcopo genuflectunt ad articulum *Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine; et homo factus est*. Et si forte, cum redeunt ad loca sua, idem articulus cantetur a choro, ubicumque erunt, pariter genuflectent, donec articulus perficiatur; tertio loco veniunt ad circulum circa finem Præfationis, ut dicant cum Episcopo *Sanctus, Sanctus, etc.* non tamen pectus percutientes: dicto *Benedictus qui venit in nomine Domini, etc.*, et facto super eos signo crucis ab Episcopo, recedunt; quarto, et ultimo, paulo antequam celebrans dicat *Per omnia sæcula, etc.*, ante *Pax Domini, etc.*, iterum veniunt ad circulum, ut dicant cum Episcopo *Agnus Dei, etc.* Et tunc, dum veniunt ad circulum, et dum discedunt, ambobus genibus versus altare genuflectant propter reverentiam SS. Sacramenti, quod est super eo.

4. Cum Canonici a circulis revertuntur ad sedes suas, faciunt contrario modo, quam faciunt veniendo; quia primo revertuntur seniores, mox juniores.

5. Illud demum sciendum est, hujusmodi circulos fieri tantum in Missis, non autem in Vesperis, et cum Episcopus præsens est Missæ per alterum cantatæ, sive diebus festis, sive ferialibus, nunquam autem, quando ipsemet Episcopus celebrat; nec fieri ante ullum, quantumvis Episcopo superiorem, etiam Legatum de latere, aut ejus Metropolitanum, et multo minus ante inferiorem, vel Suffraganeum, vel alium Episcopum, sed dumtaxat ante ipsum proprium Episcopum: qui tamen circuli, præsentem Legato de latere, vel Prælato superiore, ob eorum reverentiam omittuntur.

6. In Missis vero Defunctorum circuli non fiunt, nec feria sexta in Parasceve.

CAPUT XXII.

In Missa solemnî, quæ ab Episcopo celebratur, decet haberi concionem, vel per ipsum Episcopum, vel per Presbyterum assistentem. Si Episcopus non celebret, habeatur per alium idoneum. Quis erit ejus habitus, si fuerit clericus, et quis, si regularis. Concionator benedictionem ab Episcopo petat, et Indulgentias. Finita concione, e suggestu Indulgentias publicat. Si sermo ob aliquam graviolem causam habendus est, finita Missa, habeatur. Oratio funebris post Missam Defunctorum dicenda.

1. Quemadmodum in *Capite VIII. Lib. II.* de Missa solemnî dicitur, Episcopo solemniter celebrante, non decet omnino sermonem haberi, nisi vel ab ipsomet Episcopo, vel ab aliquo Canonico, qui eo casu servit Episcopo in officio Presbyteri assistentis; atque ibidem, et in *Cap. VII. Lib. I. §. IV.* declaratur, qua forma et modo id agere debeat.

2. Si vero Episcopus non celebret, sed Missæ per alium cantatæ intersit, tunc ab aliquo ex clericis idoneo, de Episcopi licentia, sermo habendus erit; ejus habitus erit cappa supra rocchetto, vel alius, qui fuerit in Ecclesia

proprius habitus Canonicalis. Si autem fuerit Regularis, in habitu, ab ipso deferri solito in concionando. Sermo vero regulariter infra Missam debet esse de Evangelio currenti. Quicumque sermonem habiturus, finito Evangelio, du-cendus est per Cæremoniarium cum debitis reverentiis ad osculum manus Episcopi, quam nisi fuerit Canonicus genuflexus osculatur; Canonicus autem stans, profunde incli-natus, osculatur manum; deinde benedictionem petit, di-cendo *Jube, Domne, benedicere*, cui Episcopus respondet: *Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis, ut digne et fru-ctuose annunties verba sancta sua. In nomine Patris, † et Filii, et Spiritus sancti. Amen.*

3. Accepta ab Episcopo benedictione, petit mox ab eo-dem Indulgentias, dicendo *Indulgentias, Pater Reveren-dissime*, cui Episcopus concedit Indulgentias consuetas; quibus habitis, cum debitis reverentiis recedit, ac vadit ad ambonem, seu pulpitem, in quod cum conscendit, aliquan-tulum quiescit, ac se componit, cooperiens caput; et statim, capite detecto, signat se signo crucis, et genu-flexus recitat Salutationem Angelicam, non *Regina cæli*, etiam tempore Paschali, voce intelligibili et devota, mox surgit, et capite cooperto incipit sermonem.

4. Inter concionem, cum convertit orationem ad Epi-scopum, aut Legatum ibi præsentem, caput profunde in-clinat. Finito sermone, capite detecto, genuflexus expectat finem confessionis, quam facit Diaconus, et ea finita surgit, et stans in eodem pulpito, seu suggestu, publicat Indulgentias ab Episcopo concessas, et statim descendit, receditque in pace; advertat propterea, ut formam pronuntians Indulgentias memoriter teneat.

5. Si vero habendus sit sermo extraordinarius, velut ad publicandum aliquod Jubilæum, vel pro gratiarum actione ad Deum de aliquo felici nuntio, aut publicatione fœderis, seu in adventu alicujus maximi Principis, vel ex alia qua-cumque simili occasione, non debet infra Missam fieri, sed illa finita, nec tunc petitur benedictio.

6. Idem dicitur, si in Missa Defunctorum, vel in laudem alicujus magni viri defuncti habeatur; quo casu fit statim, finita Missa, antequam fiat absolutio, ut in *Cap. xi. Lib. II.* de Missa Defunctorum dicitur, et in habitu ordinario.

CAPUT XXIII.

Quo ordine et modo thus in thuribulum imponatur, illud-que benedicatur. Quo ritu fiat ab Episcopo, vel cele-brante thurificatio in Vesperis solemnibus. Crux alta-ris triplici ductu thurificatur. Altare, reliquiæ, seu imagines Sanctorum quomodo incensandæ. Ritus thu-rificandi in Missa solemnibus. Quando incensandi sint Le-gatus de latere, vel alius Cardinalis, Episcopus, Digni-tates et Canonici. Quo ritu thurificandum SS. Sacra-mentum in altari expositum. A quibus, et quo ordine thurificandi sint Legatus, Rex, Princeps magnus, Ma-gistratus et nobiliores.

1. Circa thuris benedictionem hoc servandum est, ut cum Acolythus sive Cæremoniarium affert thuribulum cum pru-nis ardentibus, sinistra; naviculam autem cum thure et cochleari, dextera ad Episcopum, aut celebrantem, illico adsit, vel primus Presbyter assistens, vel, si Episcopus celebrans est apud altare, Diaconus Evangelii, juxta regulas suis locis traditas, et accipit de manu prædicti Acolythis naviculam semiapertam, et cochlear in ea exi-stens, cum osculo cochlearis et manus Episcopalis, offert eam Episcopo, dicens *Benedicite, Pater Reverendissime*; Episcopus vero, accepto cochleari, sumit cum eo ter ex navicula thus, illudque etiam ter in thuribulum mittit, dicens interim: *Ab illo benedicaris, in cujus honorem cre-maberis.*

2. Quo facto, ac reddito cochleari eidem ministro, qui rursus manum et illud osculatur, ipse Episcopus format